



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

CCLXXXI. Abdicans cum gladio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

non timet. Tuere nuptias quas junxisti, tuere matrimonium quod copulasti: istum raptorem puta abesse.

## CCLXXXI.

*Abdicandus cum gladio.*

Qui abdicatur, contradicit: inter moras iudicii, stricto gladio occurrit in solitudine patri: rogavit, ut sibi abdicationem remitteret, & cogit jurare: juravit ille, & accusat filium parricidii.

## S E R M O.

*Narratione preparandum est, ut quoniam nulla certa causa est abdicationis, videatur pater parricidii suspitione fecisse, & has insidias praevidisse. Quaestiones illae sunt, an ad legem parricidii satis sit probare, hoc in reo propositum fuisse: an hoc propositum huic fuerit.*

## D E C L A M A T I O.

**P**rimum hoc mihi responde, an occisuri habitu fueris: non enim tibi proderit dixisse, Non feci. Nunquam mens exitu aestimanda est. Nam & qui impetum in patrem stricto gladio fecisset, retentus, diceret, Non occidi: si venenum paratum deprehendissem, diceres, Non occidi: quin etiam si permittitur ista defensio: & ille potest dicere se non occidisse; qui percussorem summiserit. Satis ergo est probare animum parricidæ. Superest ut cogitetis, an hic animum habuerit. Si occultius esset conjectura ducenda, dicerem, turpem adolescentem: dicerem, abdicatus est: & si innocens magis poterit irasci. Sed quid causam infirmo dicendo? in aliqua vos positos specula putate illa quæ facta sunt videri. Abdicatus in solitudine est: locus opportunus insidiis, habet gladium, instrumentum parricidii: accedit ad patrem, manuque sublata, rogo, dicit, imo jubet. Non sunt enim preces, ubi negandi libertas non est. Utriusque intuemini animum, & si videtur, prius meum. Occisurum te non dubitavi: ideoque ille severus, negare non potui: reliqua à vestris animis in-  
terro-

terrogate: is qui armatus rogat, quid factururus sit, si non impetraverit? duo sunt, opinor, inter quæ quæstio interposita videatur, hic si non impetrasset, aut occisurus fuerat, aut moriturus, non dico utrum credibilius sit, utrum facilius. Exorare me volueras: quanto oportunius alibi rogafes? alio tempore? cum primum abdicatus es, adhibitis propinquis, & amicis. Quid facit ad preces sollicitudo, ista instrumenta sunt parricidii, hæc occasio, hic locus, hoc tempus. Si abdicarem te, moriturus fuisti: reum parricidii ago. Quid superest igitur, nisi ut vindicaturus fueris eam, quam injuriam vocabas? Non (inquit) occidi. <sup>1</sup> Hoc quidem in genere nemo non defendi potest, cui voluntas parricidii objicitur. Non (inquit) occidi: <sup>2</sup> si dicerem, difficilius putasti. Scelera propius admota, plus habent horrores: si dicerem, obstitit tibi vis numinum, & tacita quædam illius solitudinis religio. Nunc vero manifestum est, cur non occideris: distulisti hunc animum, dum hæres fieres.

## CCLXXII.

*Tyrannicida veste muliebri.*

TYRANNICIDAE PRAEMIUM. Tyrannus cum in arte duci iuffisset cujusdam sororem, frater habitu sororis ascendit, & occidit tyrannum: eodem habitu magistratus illi, præmii nomine, statuam collocavit: injuriarum reus est.

## DECLAMATIO.

**A**Nimus liber est, nec interest quo habitu statua ponatur: varia gentibus consuetudo est. Et hoc tibi <sup>3</sup> honestius erat: inter multos tyrannicidas notabilis eris, <sup>4</sup> in eadem re, in qua pro sorore venisti. Bella quoque insidias habent. Statua ergo tua non transibitur: habitus faciet, ut

<sup>1</sup> Hoc quidem in genere nemo non defendi potest. ] Dele præpositionem. Idem.  
<sup>2</sup> Si dicerem, difficilius putasti. ] Immo facilius. Eventus, ait, non purgat animum tuum. Invenisti enim difficile, cum agendum esset, quod, cum decerneres, facile credidisti. Idem.  
<sup>3</sup> Honestius erat. ] Immo erit. Idem.  
<sup>4</sup> In eadem re, in qua. ] Lege: in eadem veste, in qua pro sorore venisti. Idem.